componant. Quod ad omnium quorum interest notitiam deducimus simulq et Mandamus ut literas et concessionem nostram praesentem in omnibus servent ab alijsq omnino servari curent In cuius rei etc.

Legitimatio

Sigismundus etc. Scamus etc.

Quia nos ad intercessionem certorum Consiliariorum nostrorum pro Honesta Zophia olim Famati Martini Rostrzgackowicz Civis Cracoviensis relicta extra copulam quidem matrimonij nata honestam tamen in legitimo matrimonio vitam duceri apud nos factam maxime vero ducti commiseratione pupillorum per eandem Zophiam cum praedicto Martino ex legitimo matrimonio procreatorum omnem labem eidem Zophiae vitio parentum propter natalia inustam de plenitudine potestatis nostrae Regiae abstergendam et abolendam esse duximus abstergimusq et abolemus eandem Zophiam omni meliori modo et forma authoritate nostra legitimamus atq ad omnes actus legitimos et iuridicos instar aliarum Honestarum foeminarum in iure Majdeburgensi quoad capiendum et ad liberos suos transmittendum quaesuis successiones in bonis mobilibus et immobilibus habilem idoneam legalemq esse volumus. Quod ad omnium et singulorum notitiam deducendum Mandamus ut eandem Zophiam Rostrzgackowiczowa liberosq ipsius ex eodem Martino pro honestis et legitimis semper habeant In quorum etc.

Approbatio census reemptionis

Sigismundus etc. Scamus etc.

Quod posteaquam intellexissemus Famatos Proconsulem Consules totamq Communitatem oppidi Bonecz tenute Generosi Joannis Bojdzinskij pietate in Deum ductos in animum induxisse, ut ex pecunia Civili Summam Mille florenorum in censum reemptionalem comparandum atq Ecclesiae Parochiali in usus Plebani et Vicariorum modernorum et pro tempore existentium conferendum exponant atq numerent, postulatumq a nobis esset, ut eam in rem consensum nostrum eisdem praebere dignaremur. Nos itaq collaudato hoc pio illorum proposito quod ad laudem Dei omnipotentis et servorum eius sustentationem spectat faciendum nobis esse existimavimus ut illis consensum nostrum non negaremus. Consentimus itaq et authoritate nostra Regia permittimus ut praefati Proconsul Consules totaq communitas oppidi praefati Bonecz dictam Mille florenorum Summam cuicunq tuto existimaverint